

B. N. II, 134.

X 1880 763

II R
4568

h. 35, 6.

DE PLENITVDINI
SVMMÆ POT-
ESTATIS,

DISSERTATIO JURIS PVBLICI,

Quam,

PRÆSIDE

DN. NICOL. CHRISTOPH.
LINCKER,

Hereditario in Flurstät & Röttschau, Jcto,
Consiliario Saxonico Vinariensi intimo, Facultatis Juridicæ
Seniore, & Antecessore Primario, Curia item Provin-
cialis ac Scabinatus Assessore,

DOMINO PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO,
omni honoris ac observantia cultu devenerando,

IN AUDITORIO JCTORVM,

Ad D. Octobr. MDCXCI.
defendet

CAROLVS CHRISTIANVS Strauß,
Sedin. Pomeran.



JENÆ, Litteris GEORGI HEINRICI MÜLLERI.

7

ay.



DE PLENTIVINE
SUMMA POT.
ESTATIS

DISSERTATIO JURIS PABRICI

PRÆSIDII

DR. NICOL. CHRISTOPH.
LINCKER.



CAROLVS CHRISTIANVS

J. A. M. LINCKENS GEORGIUS





A. D. A.

DE Plenitudine potestatis acturi, primo omnium delineamus vocis explicationem: quippe cognitio Nominis nos ducit in cognitionem rerum, & ex ejus interpretatione facilius ad rerum intellectum pervenire possumus.

§. I.

Dicitur autem Plenitudo, non tantum quod perfectio sit potestatis, sed quod etiam in ambitu jurium nil quicquam ei desit: quem quidem geminum significatum Germani una voce, eaque Curiali, *der Macht Vollkommenheit*, exprimunt. Nimirum est Majestas totum quoddam potestativum, cui nihil deest, sed quod plenum est per omnes partes, ita ut quælibet ejus pars summa in se ac plena sit: totum sc. tam quoad potestatem, quam dignitatem; tam quoad κτήσιω quam χρήσιω; tum quoad latitudinem tum longitudinem, ut a nulla parte excludatur. Idem innuere videntur verba Strauchii, quæ habentur in ejus *Inst. jur. publ. lib. 1. tit. 4. §. 10.* ibi: Plenum vero
A
cui

cui nihil deest, sed omnibus partibus inesse debitis integrum est: & sicuti in jure nostro Justiniano plenum id esse dicitur in quo nihil desideratur, sed quod solidum est ac integrum. Sic enim plena Falcidia denominatur in *l. 16. ff. ad L. Falcid.* quæ solida ac integra, Plenum quoque Compromissum accipitur, cui pœna vel alia res vice pœnæ addita est, & quod omnibus numeris perfectum est & absolutum, per *l. 11. §. 2. ff. de Recept. lit: plenum dominium dicitur, quando quis jus integrum habet, l. 4. ff. d. alim. & cib. leg. l. 46. d. Vsufr.* plenoque jure nostrum id esse accipimus, cujus & Vsufructus & proprietas ad nos pertinet. vid. Struvii *Syntagm. jur. Civ. Ex. XI. th. 55. & l. 126. §. 1. ff. de V. O. l. 11. C. d. action. empt. l. 17. ff. de R. V.* Ita & plena potestas illa vocatur, quæ omnibus modis integra ac completa est, quæque dirigitur ad omnes personas & res quæ ejus potestati subsunt, exceptis solum iis, quæ specialiter per pacta ab Ea sunt exempta, id quod fieri potest salva nihilominus manente plenitudine; Summum autem id appellatur, supra quod poni nihil potest: sic summum genus in logicis vocatur, quod supra se aliud genus non habet, summum Ens in metaphisicis, quod Superius non agnoscit, summum judicium in jure nostro, quod supra se aliud non habet, v. Stamler. *de R. §. 36. n. 12.* nec appellationem a se admittit. Hinc etiam summa potestas dicitur quam nulla alia in terris supergreditur.

§. II.

Homonymiam nominis porro quod concernit, notandum, quod, ut sæpius unica vox plures admittit significationes, ita & hæc non uno eodemque modo sed varie accipiatur. Sumitur enim (1) nonnunquam pro potestate publica, non tamen summa, uti in *l. 9. ff. de jurisdictione, ibi*

ne, ibi Majestas h. e. plenitudo potestatis tribuitur Prætori, qui tantum fuit Magistratus a Populo Romano creatus, Eique ut superiori subjectus; sed admodum improprie & abusive, notante Dn. Franzkio *ad tit. d. off. Prætor. n. 16.* siquidem Majestas pro summa potestate accipi debeat. Eaque, a Magistratu probe discernenda, veluti omnium Magistratum causa ac fons, & ea propter ne quidem dignitas dicenda, sed dignitatum omnium culmen, fundamentum ac principium (2) pro tali, quæ superiorem non recognoscit, quo de significatu & hic agimus, hocceque sensu iterum tripliciter, accipi potest, nimirum (1) pro Majestate ordinaria, ut quando dicit Imperator *Uns Kayserslicher Macht und Vollkommenheit, und mit vorgehabten Raht und Bewilligung gemeiner Stände.* Quando Cæsar agit ex reservato, non adhibito consensu Statuum sic v. g. in causis teloniorum, ibi Imperator cognitionem controversiarum solus sibi vindicat, uti videre est in Capit. Leopold. art. 24. ibi: *Und also deren darüber einfallenden Streit-Entscheidung vor Niemand als Uns gehörig.* (3) Quando Cæsar agit invitis Statibus, quod aliter res exitum invenire non possit, Exemplum est im Geistlichen Vorbehalt. vid. *R. I. d. A. 1555. §. 18. ibi: Und nachdem ic. ic. ic. aber beyder Religion Stände Sich nicht haben vergleichen können: Demnach haben Wir in Krafft hochgedachtes Röm. Kaysersl. Majest. Uns gegebenen Vollmacht und Heimstellung erkläret und gesetzt. ic.* Cum vero hac Dissertatione complexum Majestatis Imperialis totum intendamus, ideo ad singulas tres acceptiones suo modo respicimus, cum in earum qualibet Imperator ex plenitudine suæ potestatis agat. Et sic rejici-

mus acceptionem vocis pro summa præ eminentia, cum aliqua saltem potestate conjuncta; Nec non illam pro summa dignitate, exclusa omni potestate.

§. III.

Vocatur alias potestas absoluta, quod sc. a nemine nisi a Deo dependeat, & ad Neminem nisi ad Deum se referat: quo & respiciunt verba *Novellæ 28. c. 4. circa fin.* ibi: Hanc Nos gratiam Deo referendam putamus, qui nobis Imperii coronam imposuit. Latinis præprimis dicitur Majestas, eximia potestas, summum imperium, suprema jurisdictio, vid. *Struv. Synt. jur. Civ. Ex. 4. §. 79.* it. imperii amplitudo. Germanis *Käyserl. (Königliche) Majest. Würde, Hoheit, Ehre, Macht und Gewalt, Macht und Vollkommenheit, Käyserliche Hoheit und Reservaten* it. *Käyserliche authorität.* vid. *Cap. Leopold. art. 4.* Gallis *Souverainete* Græcis βασιλεία, τὸ κύριον, κύριον, πολίτευμα, ἀνεξαρτησία & absolute τὸ κύριον dicitur.

§. IV.

Ulterius quod attinet definitionem realem, quæ maxime essentiam plenitudinis potestatis declarat, eam sic ponimus: Est Jus supremæ potestatis, vi electionis Imperatori competens, Remp. R. cui ut Caput præest, ubiq; juxta utilitatem publicam ac communem Imperii ejusq; statuum ac subditorum regendi. Per supremum intelligimus tale, quod in his terris non habeat superius, cujus vi istius actus irriti possint reddi. Sicut enim primum, id est, quo nihil datur prius ita illud demum recte dicitur summum, quo superius nihil est. Essentia proinde hujus plenitudinis passim in summitate consistit, quæ omnem dependentiam ab alio excludit. Summum enim esse, & superius quid habere, contradictoria sunt: quæ simul stare nequeunt. Partim quoad latitudinem

tudinem

tudinem objecti, in omnibus juribus ad eam requisitis. Per regendi potestatem supremam potestatem cum summa dignitate ac eminentia conjunctam, tam in actu primo quam in actu secundo consideratam significamus. *Vi electionis.* Alibi etiam successionis: qui modi frequentissimi sunt, quibus quis ad hanc summam potestatem evehitur. *Remp. R. German.* Hinc Objectum regiminis denotatur. Hæc enim omnes in ea viventes, eorumque salutem sub se comprehendit. *Ubique, i. e.* ut non solum in aliquibus vel hic & nunc, sed in omnibus ac omni tempore competat, & ita tam Universalitatem quam summitatem ac perpetuitatem denotet. Majestas enim, nec majori potestate, nec superiori vel legibus ullis proprie dictis, nec tempore definitur, testante Bodino *l. 1. c. 8. de Rep. p. m. 125. Salutem publicam:* nam per hoc Regnum separatur a Dominatu & Tyrannide, quorum iste propriam salutem primo, hæc vero unice illam intendit.

§. V.

Maxime autem se exerit hæc plenitudo in exercendis partibus suis, i. e. juribus Majestatis: Quæ cum vel in objecto sive latitudine, vel in se quoad longitudinem vel independentiam & summitatem spectentur, haud incommode illam discernimus secundum illum respectum objectivum & formalem.

§. VI.

Objectivam, seu ut alii materialem, plenitudinem voco complexum omnium jurium majestaticorum juxta objectum distinctorum, v. c. juris ferendi leges, exigendi tributa, pangendi fœdera, cudendi monetam, &c. Formalem vero, summitatem & independentiam omni-

um jurium Majestaticorum. Plures alias partitiones summæ civilis potestatis adducit H. Grotius *Lib. I. d. 7. Bell. & Pac. C. 3. §. 6.* suamque, quam ibi suppeditat, omnia continere putat, ita ut nihil aut desit aut redundet, atque trinam illam prudentiam Aristotelicam, *Legislatoriam, Consultatoriam & Judiciariam* ad eas accommodat.

§. VII.

Quo vero ista melius cognoscatur, haud abs re fore autumo, si statim in limine ponatur differentia inter τὸ plenum & absolutum. Communiter enim accidit, quod Imperans absoluta quidem destituatur, plena tamen nihilominus gaudeat potestate. Sic v. c. in Eo, qui suum imperium exercet secundum pacta, ex propria ipsius voluntate inita, deficit quidem potestas absoluta, cum imperium pro lubitu exercere nequeat, plena tamen ideo non privatur. Nec quicquam per hoc, quod limitate suam exercere debeat potestatem ipsius plenitudini admittitur: cum ad essentiam plenitudinis non requiratur, ut quis habeat illimitatam ac tyrannicam potestatem; sed sufficiat, si Ei sint omnes partes plenitudinis independenter.

§. IIX.

Videlicet τὸ absolutum in duplici differentia ponimus, nempe ut sit vel simpliciter vel secundum quid tale. Illud vocamus potestatem, qua quis non est adstrictus ad ullas LL. fundamentales, vel pacta & capitulationes, sed potestatem civilem pro lubitu secundum rigorem exercere potest. Hoc iterum in duplici sensu accipitur, vel ut restrictionem ac limitationem admittat, quæ tamen nil quicquam ex plenitudine & summitate Majestatis detrahit:

(qua

(qua ratione omnis gaudens absoluta potestate in hoc & priori sensu pollet etiam plena ac summa, & vice versa) vel ut limitata sit, quæ parte quadam seu facultate Majestatis destituitur, seu ut limitatio substantiam ipsius exercitii ingrediatur: Ita vero absolutam non habebit is, qui summam in reliquis partibus habet, aut qui exercere Majestatem solus non valet. Nam hæc limitatio tollit rationem absoluti, non tollunt limitationes priores.

§. IX.

His ita declaratis, inquirendum venit: Penes quemnam hæc plenitudo potestatis summæ resideat in nostra Rep. Rom. Germanica? præsertim cum variæ circa eam reperiantur opiniones. Equidem veritati error præjudicium creare minime debet, neque Virorum etiam celebrium humanitas viam hanc veritatem indagandi nobis invidere potest, quum iis relictis, cum ipsis LL. publicis, sine quibus loqui non minus juris publici, quam privati Consultis ac Studiosis erubescendam est, decidere potius, quam ipsos incerto pede sequi malumus: juxta Bœcleri monitum: In omni bene constituta Republ. de forma & statu Reip. nemini licere debere aliter loqui, quam LL. publicæ loquuntur & decernunt.

§. X.

Subjectum proinde hujus plenitudinis summæ potestatis in nostro Imperio statuimus Imperatorem: idque ex hoc fundamento (1.) quod non modo neminem in his terris agnoscat Superiorem; id quod certissimum Majestatis indicium esse testatur ipse Bodinus *l. 1. de Rep. c. 8. p. m. 126.* quando inquit: Is Majestatem habet, qui post Deum immortalem se ipso majorem videt neminem.

Verum

Verum etiam (2) quod nemini una cum eo, five conjunctim, ut causæ sociæ, five divisim, Majestas, tanquam subiecto proprio, competat.

§. XI.

Quamvis autem absolutum jus Majestaticum κατ' ἐξουσίαν & simpliciter ita dictum Imperatori tribuere nequeamus, cum ex pacto Capitulationis ad certum modum jure Naturæ obligetur; summum tamen & absolutum secundum quid, ejusq; exercitium, Ipsi denegare nullo modo possumus nec debemus.

§. XII.

Loquuntur hoc ipsum Recessus & Constitutiones Imperii, ipsaque Edicta & Rescripta Cæsaris, quibus plenitudinem dictæ potestatis summæ (non nudam ac solius præeminentiæ sic dictam; sed veram) esse solius Imperatoris satis indicatur. Sic enim toties occurrit in Recessibus formula: Aus Unser Kaysers. Macht und Vollkommenheit, ut in R. I. de A. 1530. §. Und dieweil Wir. *ibi*: Dem, nach gebieten wir von Röm. Kayserslicher Macht und Vollkommenheit. *It. R. I. de A. 1542. §.* Würde sich aber jemand. *ibi*. von Röm Kayserslicher Macht und vollkommenheit. *it. Kaysersl. Edict von dem Regiment zu Nürnberg. de A. 1521. ibi*: Aus Vollkommenheit Unser Kayserslichen Macht. *it. R. I. de A. 1512. §.* und nachdem. 21. *ibi*: Dieweil die Sachen die Vollkommenheit Unserer Majestät betreffen. *it. Ordnung des Landfriedens, d. A. 1548. sub rubr. Aufhebung aller Freyheiten. ibi*: Aus Röm. Kaysersl. Macht und Vollkommenheit. *ibid. sub rubr. Handlung des Friedens. §. 4. it. R. I. de A. 1551. §. 6. ibi*: aus Kaysersl. Macht und Gewalt. *it. de A. 1559.*

§. 35.

§. 35. Und nachdem, *ejusd. Anni*, Ferdinandi Münz-Ordnung, §. 180. Dem allem nach, *it. de A. 1567. §. 60. §. 1635. §. 52. it. de A. 1529. §. 1. Hoch- und Ehrwürdige. & plenius in der Reuter-Bestallung zu Speyer de A. 1570. §. 41. ibi: Von Röm. Käyserl. Macht, Hoheit und Ampts wegen, § Aurea Bull. in proœm. it. in Cap. 1. §. 1. Cap. 3. 8. 13. 16. &c.*

§. XIII.

Idem innuunt verba: Befehlen, Wollen, Setzen, Ordnen und Gebiethen. Solus enim non singulis tantum verum etiam universis in Imperio imperat, idque ex plenitudine potestatis, qua pollet summa. Sic *vid. Ordinatio des Landfriedens de A. 1548. ibi Carolus V. ita alloquitur Status, in art. 2. Wir befehlen auch allen und jeden Chur- Fürsten, Fürsten &c. &c. &c. Imo nonnunquam sub poena amissionis gratia, bonorum & privilegiorum, ut idem Carolus in Constit. des Landfriedens de A. 1521 sub tit. Handhabung des Friedens §. 4. ibi: Darauff befehlen Wir allen und jeden obgeschriebenen Euch auch hiemit aus Röm. Käyserl. Macht &c. &c. &c. Auch bey Verlust aller Gnaden, Privilegien und Rechten, so ihr von Uns und dem H. Reich oder andern habet. it. de A. 1542. §. 102. ibi: ihre Privilegien, Schutz und Schirm &c. &c. damit verwürckt, deren priviret und entsetzet seyn. R. A. 1570. §. 152. ibi: Wollen demnach allen und jeden Ständen und Obrigkeiten hiemit geboten haben &c. &c. alles bey Vermeidung Unserer Ungnade und anderer Pön. § 1542. pr. it. Const. von Handhabung des Friedens sub tit. Wie der Landfried zu halten. 1548. nomine Käys. Landfried. art. 29. §.*

B

Münz

.VX .2

4. Münz Ordn. de A. 1559. §. 180. it. 1566. §. 8. 1569. §. 42. & alia plures, nec dum etiam formulæ illæ post Instrumentum Pacis cessant, ut aliqui opinantur, ac si per istud facies Majestatis Imperialis immutata sit. vid. R. A. 1654. pr. Setzen demnach, ordnen, wollen und gebiethen allen und jedene. re. re. und bey Vermeidung deren in ermeldeten Frieden Schluß beygefügtten Straffen und Pönnen.

§. XIV.

Hinc etiam est, quod Status Eundem appellet *Ihren Allergnädigsten Herrn* Sic vid. R. de A. 1525. in pr. *ibi: Unser Allergnädigster Herr* it. de A. 1527. §. 7. *ibi: Hochermelter Rom. Käyserl. Majestät, als unserm Allergnädigsten Herrn, & 1500. rubric. ult. ibi: Unser Allergnädigster Herr.* Cæsar vero contra Eos suos Subditos vocet. vid. R. I. de A. 1548. sub rubr. Land-Fried. art. 2. *ibi: Unsern und des Reichs Unterthanen.* in. Constit. von Gotteslästern. de A. 1495. pr. *ibi: Unsern und des H. Reichs Unterthanen.* 1530. §. 72. Imo quandoque Status collective sumptos, suos simpliciter, nulla facta mentione Imperii, nominat. v. *ibid.* §. 102. *ibi: Unsern Churfürsten, Fürsten und Ständen.* 1500. rubr. Wie die Irrung. *ibi: Unsern Churfürsten.* 1571. §. *ibi: Unsern Churfürsten.* Indequæ & ipsum imperium suum dicit Imperator, uti probant Recessuum, Capitulationum & quorumlibet Mandatorum atque concessionum Clausulæ finales v. Ord. Cam. de A. 1521 in fin. *ibi: Unserer Reiche Käyserl. Landfried. ejusdem anni, in fin. Edict. vom Regiment zu Nürnberg. ejusd. ann. fin. it. R. I. de A. 1654. in fin. ibi: Unserer Reiche. & R. A. 1512. 1555. in fin. conf. Capitul. Ferd. IV. & Leopold. in fin.*

§. XV.

Nec parum huc facere videtur, quod Imperator in omnibus scriptis, etiam quæ ad Status diriguntur, plurali numero: *Wir*. utatur, cum Status ad Ipsum singularem adhibeant. Quin & Cæsar Principes, (in Electoribus enim secus servat Stylus,) iisque inferiores, singulariter denominat. Sic vid. Lund. ad *A. 1659. p. 509.* ibi Scriptum Leopoldi Imp. ad Bambergensem ita: *Deiner Andacht ist ohne Unser Erinnern bekant.* Imo Comites: *Dir*. Soli insuper Imperatori in nostro Imperio ab omnibus Imperio subjectis tribuitur elogium Majestatis, tam in literis inque earum subscriptione, quam alias, si præsentibus cum Eo verba faciunt; idque alio longe sensu, (cum istud argumenta reliqua evincant,) quam uti ab exteris Regibus illud fieri solet, sic vid. Scriptum Regium ad Ferdinandum Imp. ap. Lund. ad *A. 1653. p. 890. ibi. in Subscript.* Cæsareæ Vestræ Majestatis amantissimus Frater ac Consanguineus. Et novissime de *A. 1689.* Serenissimi Regis Sveciæ Scriptum, ad Imperatorem, propter diffidia tum temporis inter Daniæ Regem & Ducem Holsatiæ directum idem testatur. Nam & ipse imperii Caput summum nominatur in *A. B. c. 2. & R. I. de A. 1566. §. 6. fin. ibi: Wie Wir dann als Röm. Kayser und das Ober-Haupt im Reich. it. 1530. §. 68. ibi: als Röm. Kayser und Haupt. 1567. §. 65. ibi: Uns als dem Ober-Haupt. 1566. §. 6. ibi: Als Röm. Kayser und das Ober-Haupt im Reich. 1545. §. 8.* Eique omnes obedientiam debent, prout testatur *R. I. supra allegatus de A. 1521. sub tit. Ordnung des Landfriedens art. 21. §. 4. ibi: bey dem Gehorsam, den ihr Uns als Röm. Kayser schuldig seyd, & art. 18. §. 2. ibid.* Et

ipfi Status hoc lubenter agnoscunt, dum eam Imperatori mediante Homagio & Vasallagio promittunt, seque **Uller- unterthänigste gehorsamste** in literis appellunt. Imo hanc ipsam præminentiam Imperatoris & ipse Turcarum Princeps agnoscit, dum Imperatorem nostrum, Omnium Principum Christianorum summum compellat; prout allegat Dn. Stamler *in tract. de Reserv. §. 13. n. 10.* Idem quondam agnovit Elector Saxonix per suos Legatos, dicens: **Es wäre ja ein Kayser nicht Ehrenthalber allein, sondern das Haupt im Reich, und hätte denen Ständen zugebiethen und Sie zu entscheiden.** v. Lund. *in act. publ. tom. 2. tr. 8. p. 541.* Hoc itidem & confirmavit quondam Arragonix Rex Alphonsus, inquiens: Nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori tanquam summo Regi, Ille est Caput & Dux Regum uti allegat Staml. ex Limneo. *d. tr. §. 53. n. 7.*

§. XVI.

Cum autem hæc plenitudo ex formulis, titulisque non adeo conficiatur, quoniam non tantum iis quoque tribui solent similia, qui Majestatem, qua summa in Re- publ. potestas est, nulla ex parte habent, Dignitatem tantum Reip. sustinentes; verum etiam Imperatori possent competere, qua Monarcha quoad Reservata in Statu mixto foret, eademque Statibus Universalis destituta sit ejusmodi persona, & Imperator negotia Imperii exequatur. Hinc omnino melius negotium hoc ex peculiari singulorum summæ potestatis jurium, (a quorum nullo Imperator excluditur) consideratione perspicui potest. Igitur potissimum Reservata, quæ Ipsi in signum supremæ eminentiæ conveniunt, **Als besonderliche Kayserliche Hoheiten**

ten

ten und Reservaten. v. R. I. de A. 1576. §. 117. nec tamen illa sola, respicienda sunt, quia ex his non sequitur, illi plenam potestatem competere, sed solum quod summa Ipsi in istis juribus debeatur. Cum vero concursus Statuum in Exercitio Jurium reliquorum non efficiat, quo minus etiam illa solus Cæsar Majestaticè exerceat, ideo Jura etiam non Reservata Cæsari soli adscribenda sunt.

§. XVII.

Nimirum Reservata sunt jura Majestatis, quæ Imperator liberæ suæ dispositioni, absque Electorum vel Ordinum necessario consensu, exercenda reservavit: Eaque commode dividuntur in generalia & particularia.

Illa dicuntur, quæ totum Imperium pro objecto habent. Inter quæ primo omnium nonnulli referunt etiam Jus ferendi LL. Universales, quod primum & præcipuum Majestatis caput, certissimumq; Majestatis characterem esse, dicit Bodinus l. 1. de Rep. cap. 10 pag. m. 240. Quamvis autem illo respectu non dici possit Reservatum Cæsaris, quia integram Legis constitutionem respicimus; tamen si præcise Legis formalem rationem, quæ in promulgatione ac imperio consistit, attendimus, doctrina illa rejici non potest. Solus quippe Imperator suo nomine Recessus Imperii promulgat, id quod sufficienter satis supra adductæ formulæ illarum Constitutionum, plerumq; initiales, Befehlen, Gebieten, Setzen, Ordnen demnach &c. demonstrant; Idem quoque exequitur, Subditisque Imperii Omnibus eorum observantiam injungit. Sic vid. R. I. de A. 1570. §. 159. ibi: Darum gebieten und wollen Wir, daß alle und iede Stände und Obrigkeiten ob diesem Unserm Gebot mit allem ernstlichen Fleiß halten; nonnunquam & pœnam adjicit, ut supra



monuimus. Huc & pertinet jus promulgandi mandata, v. c. avocatoria, uti probat novissimum Edictum ab Imperatore contra Gallos promulgatum, it. jus LL. authentice interpretandi, mutandi, tollendi, ut tamen ubique Statuum Imperii consilium & consensus adhibeatur. Hinc quoque non aliam Cæsar Legum interpretationem suscipere, nisi judicariam, & ne hanc quidem potest, ubi Partis locum sustinet.

II. Jus proponendi in Comitibus, quod non tantum apparet ex verbis ipsius Imperatoris, dum passim in Recessibus dicit *Unsere Kayserliche proposition, R. I. de A. 1654. §. 7. 1608. §. es sey von Alters. Anno. 1566. §. Als Wir nun. verum etiam usu comprobatur. Conf. Auth. der Grundfest. p. 2. c. 2. p. m. 73. it. Schweder. p. f. S. I. c. 19. §. 2.*

III. Decernendi in iisdem, præeuntibus tamen conclusis Statuum: & quidem His aliquando invitis ac dissentientibus: si Respublica periclitari videatur, neque res aliter exitum fortiri possit; quale quid tamen rarissime, & fere non alio casu, quam in his, quæ religionem vel simile quid, ubi Status in partes scinduntur, concernunt, occurrit. Sic vid. *R. I. de A. 1544. §. 82. ibi: Da Wir für uns selbst und aus Kayserlicher Macht und Vollkommenheit Ordnung darinnen fürnehmen und geben würden, daß Sie solches geschehen lassen und dulden müsten, und in demselben Uns als Röm. Kayser kein Form oder Maß zu setzen wüsten. Idem agnovisse videntur Status in Comitibus Ratisbonensibus A. 1576. hunc in modum supplicantes: Ist demnach Unsers Untertänigsten Erachtens ganz unvonnöthen, auf eines oder andern*

andern Theils Bewilligung zu sehen oder zu warten, Sondern Euer Kayserl. Majest. haben dißfalls vollkommene Macht und Gewalt zu Verhütung größern Unraths Ihr Kayserlich Amt zu interponiren. *Conf. Author. Der nothwendigen Erinnerung. fol. 61.*

IV. Cognoscendi & Judicandi de controversiis feudorum regalium, idque itidem in signum supremæ potestatis. *vid. Ordnung des Regiments d. Anno 1521. §. 7. ibi: Ob auch Sachen fürsien, Fürstenthum, Graffschafften ic. belangend, so vom Reich zu Lehn rühren, so einem Theil gänzlich und endlich abgesprochen werden solten, derselben Erkantniß wollen Wir Uns hierinn auch vorbehalten haben. conf. Ord. Cam. de A. 1555. p. 2. 7.*

V Concedendi ac confirmandi privilegia, Universalia, sive in Corpore Juris clausa; (ut tamen in his quoque modis servetur, quem in Lege condenda servari necesse est: *vid. R. I. de A. 1654. §. die verflossene und noch unbezahlte Zinsen, & §. anreichend. ubi duplex privilegium tribuitur ab Imperatore depauperatis Debitoribus,) ut & particularia. *vid. art. 45. Capit. Leopold. ibi: Daß über die Kayserliche Concessionen oder Privilegien. it. A. B. c. 8. ibi: privilegium, consuetudinem & indultum hujusmodi, autoritate Imperiali, & de Imperiali potestatis plenitudine, ex certa scientia, innovantes, & etiam confirmantes, hac presentis nostrae constitutione Imperiali, perpetuis temporibus valitura, statuimus: Inque horum violatores animadvertit, eod. cap.**

VI. Cognoscendi de iisdem, vid. Schwed. p. f. S. 1. *Introd. J. P. c. 10. §. 5.* eaque rursus de plenitudine tollendi, vid. *R. I. de A. 1521. sub tit.* Ordnung des Land Friedens, §. Wir setzen auch hindan alle und iegliche Grauden, Privilegia, Freyheit, Herkommen, Bündniß, aus Röm. Kayserl. Macht und Vollkommenheit. It. §. Darauß befehlen. *ibid. conf. R. I. 1529 §.* So aber iemands. *Idque modo in Imperio recepto, sub distinctione privilegiorum & causarum, ob quas unum vel alterum tolli e re publica fuerit.*

VII. Recipiendi Homagium ab omnibus Imperii Statibus, quo mediante subjectionem & obedientiam promittunt; quod indicant verba juramenti **gehorsam und gewärtig zuseyn.**

IX. Animadvertendi in Refractarios ac Rebelles Imperii, des Heil. Reichs Aechter, tam immediatos quam mediatos. *vid. R. I. d. A. 1542. §. 102. ibi:* Setzen und ordnen ic. von Röm. Kayf. Macht und Vollkommenheit, daß alle und iede, so als ungehorsam sind oder diese Ordnung verbrechen, in der Kayserl. Majest. und des H. Reichs Aecht mit der That gefallen. *Eosque rursus restituendi, uti exempla Principum, Comitum, Civitatum, probant.*

IX. Cognoscendi de controversa Statuum sessione ac præcedentia. *vid. R. I. de A. 1570. §. 160. §. 61. ibi:* Wollen und statuiren hiermit, daß Sie der Session wegen streitige Stände, ic. ic. ic. **Unsere Erkänntniß darüber**
erwar:

erwarten sollen. *conf. R. I. de A. 1530. §. item 143. & 1542. §. 41. Abs.*

X. Exercendi jus postarum Universalium, quod asseverat Imperator Matthias in Informatione Bohemica, nuper denuo edita, daß die Kaysersliche Hoffpost ihrer Majest. und des H. Reichs hohes Regal sey.

XI. Jus feuda aperta ad Imperium trahendi, v. A. B. c. 7. junct. *Cap. Carol. V.* recipiendi extremam provocationem, it. dicendi jus in utroque summo judicio, investiendi status. v. c. 9. A. B. cognoscendi de vectigalibus, indicendi collectas generales, gerendi bella, pangendi fœdera, augendi vel minuendi vectigalia, *R. I. 1576. §. 117.* concedendi vel prohibendi, quæ in Universo Imperio scribi vel non scribi debeant, *Strauch. p. 282.* hunc vel istum librum interdicendi, inhibendi exportationes equorum & aliarum rerum. Quæ tamen iterum varie se habent. Nam aliqua eorum, ad Reservata pertinent, quædam omnium Statuum, reliqua tantum quorundam religionis ejusque Libertatis haberi oportet.

Quamvis etiam illa, quæ particularia vocare licet Privilegia, seu Constitutiones personales, Imperatoris reservatis accenseantur, tamen illa quoque non potest cuiquam absolute tribuere Imperator; quamvis dicat se illa concedere aus *Kayserslicher Macht und Vollkommenheit*, si in alterius tertii præjudicium vergerent. Sunt autem cum primis ex Privilegiis illis notanda sequentia: quod nimirum Imperator habeat.

I. Jus conferendi Dignitates Principales, Solus quippe Imperator in nostra Rep. creandi Reges, Duces & Principes sibi vindicat jus, ut monstrant exempla Henrici IV. & Ottonis III. quorum prior Duci Bohemiæ Uratislao; Posterior

terior vero Boleslao I. Poloniae Duci, Regis titulum concessit, vid. Schwed. p. f. 2. S. I. c. 7. §. 1. conf. Capit. Leop. art. 44. Solusque hos de feudis investiendi jus habet, ut & feuda commutandi ex magna Comitibus probata causa, vi domini eminentis, uti exempla etiam novissima testantur. conf. A. B. c. 5. it. R. I. de A. 1521. sub tit. Röm. Kayserl. Regiment. §. Und behalten Uns vor.

II. Exercendi jus primariarum precum, idque itidem jure summi Imperii, quod tenet Caesar; ipso fatente Zieglero de Jur. Maj. l. 1. c. 18. §. 4. fin. conf. Inst. Pac. art. 5. §. 25. idem probat Rescriptum Imperatoris Matthiae ad Philippum Christophorum, Episcopum Spirensis, ap. Frisch. in tr. de Jur. prim. prec. Imp. m. 3. in verbis: **Als unser ansehnliches Jus und Regal.**

III. Concedendi moratorias Universales, h. e. per totum Imperium valentes. vid. Reform. guter Policiey. de A. 1548. sub tit. von verdorbenen Kaufleuten. §. 2. ibi: **Und nachdem Sie zu Zeiten bey den Röm. Kaysern und Königen, moratoria oder Quinquennel ausbringen und erlangen.** it. Ordinat. Polit. de A. 1577. eod. tit. §. 4. conf. Staml. §. 62. fin.

IV. Concedendi nundinas solennes & generales. vid. R. I. 1576. §. 117. Confer. Strauch. inst. jur. publ. l. 3. t. 1. Schwed. p. f. S. I. c. 17. §. 13. Struv. Ex. 50. tb. 81. Staml. d. tr. §. 61. n. 8.

V. Conferendi insignia, Germanis Wapen, Schild und Helm: quod Jus solus Imperator, vel ipse, vel per alios, quibus ex singulari gratia concessit, exercere solet. Cujus rei fidem facit diploma quoddam, quo ex concessione Imperatoris Maximiliani, Fridericus III. Elector Saxoniae, insignia contulit hujus tenoris: **Von S. S. Wir**

Wir Friedrich Herzog zu Sachsen ꝛ. ꝛ. ꝛ. bekennen mit diesem Unserm Brieff, und thun kund allermänniglich: Nachdem Wir von dem Allerdurchlauchtigsten, Großmächtigsten Fürsten und Herrn, Herrn Maximilian Röm. König ꝛ. ꝛ. ꝛ. Unserm Allergnädigsten Herrn, unter andern sonderlich begnadet seyn, Wapen zu geben, nach Besage Seiner Königl. Majest. Brieffe. *Vid. Ziegl. d. tr. l. 2. c. 21. §. 9. conf. Staml. d. tr. §. 57. n. 4.*

VI. *Dispensandi contra jus commune, & confirmandi actum de jure civili invalidum; cujus rei exemplum habemus in conventionibus de hereditate Viventis, v. Struv. Ex. 38. l. 47. Ex. 6. l. 44. Hinc & Status aliquando, si quid contra juris scripti auctoritatem perficere desiderant, Imperatoriæ Majestatis culmen adire, & ex potestatis plenitudine actus suos contra juris communis regulas sustineri, humiliter ac devote petere solent.*

VII. *Indulgendi veniam ætatis, eamque vel minus plenam, idque vel immediate vel mediate, v. Staml. §. 58. d. tr. n. 11. idem patescit ex l. 1. 2. 3. C. de his, qui veniam ætat. imp. conf. Strauch. inst. jur. publ. l. 3. t. 1. p. m. 265.*

VIII. *Aggratiandi quoad totum Imperium, v. R. I. de A. 1570. §. 40. 1526. §. 6. Huc & pertinet Asyli Constitutio: de quo vid. omnino Staml. d. tr. §. 60.*

IX. *Restituendi famam: v. R. I. 1525. §. 4. 1526. §. 6. Strauch. Inst. jur. publ. l. 3. t. 1. p. m. 263. conf. l. 1. §. 101. tit. C. de sent. pass. & rest. Staml. d. tr. §. 57. n. 6. Nec obstat, quod Cæsar eum, qui justa sententia alicujus Status ac Principis notatus est, restituere nequeat; Siquidem non vult vi sui promissi eosdem turbare in jurisdictione ab ipso iis concessa. Interim plures species aliæ occurrunt, in quibus Ius famæ restituendi Cæsar exercere potest,*

test, ut Statuum jurisdictioni non officiat; quin & ex nova causa illum, qui per judicatum Principis vel Comitis &c. infamia notatus fuit, restituere existimationi potest.

X. Legitimandi per universum Imperium: quippe nemo notas vitiosæ opinionis abstergere potest, nisi solus Imperator per *Nov. 89. c. 9.* Nam & summus Princeps in filiis naturalibus propriis hoc jus ex plenitudine summæ potestatis exercere potest; uti probat *Schwed. P. 2. S. 1. c. 16. §. 9.* idem confirmat *Ziegl. d. tr. l. 1. c. 10. n. 12.* dicens: Principi enim ista potestas competit ideo, quia superiorem non habet, & quia adeo potestas legitimandi, quæ radicaliter in eo consistit, reflectitur in ipsum summum Imperium, ex quo ortum habet. *Conf. Stamml. d. tr. §. 58. n. 8.*

§. XIIII

Pertinent quoque ad jam enumerata Jura particularia & concessio Salvæguardiæ, concessio extruendi fortalitia, indulgendi neutralitatem, idque generis alia: quæ partim jam nota sunt, partim vero adhuc nota fiunt, quam plurima, de quibus omnibus non minus idem judicium ac de supra recensitis sumi debet, cum a nullo eorum, uti §. 16. notavimus exclusus sit Imperator; sed ea omnia de plenitudine exercent. Et quamvis Imperii Status interdum quid simile agant in suis territoriis: in eo tamen differunt, quod hæc ab iis solum per modum privilegii, concessionis aut juris territorialis, & sic alieno exercentur.

§. XIX.

Nullam proinde eorum esse opinionem, qui Cæsarem quoad Honorem & Dignitatem externam, a potestate autem plane remotam, gaudere Majestatis elogio asserunt,

runt, perspicue satis ex jam dictis apparet. Neque tolerari potest multo minus illorum sententia, qui Imperatorem Pontifici Romano subesse existimant: cum satis liqueat ipsum esse Vasallum ac Subditum Imperii, hocceque prius esse Pontifice, atque hunc istius auctoritate constitutum. Dn. Reink. *l. 1. c. 2. c. 4. n. 30.* conf. idem *c. 2. c. 6. n. 10.* Ziegl. *l. 1. c. 13. §. 30.* Majorem habent doctrinæ suæ speciem, qui opinantur, quod cum Imperatore etiam Status participant de Majestate, atque hinc status nostræ Republicæ Rom. Germ. ex Monarchia & Aristocratia mixtus sit. Quamvis his non obstet, quod Majestas sit quid individuum, quod partes proprie dictas non admittit, sed saltem ab officio ac operationibus diversis variam sortiatur denominationem: nec cum æquali aut pari subsistere possit, (Kirchn. *disp. 2. de Rep. θ. 4.*) quia omnibus debeat esse superior; Ubi autem sunt duæ potestates pares, ibi neutra sit summa, quia neutra est supra omnia: quod tamen summæ potestatis natura postulat. Cellar. *l. 2. c. 7. §. 11. polit.* & Bodinus *l. 1. de Rep. c. 10. p. m. 234.* dicens: Summus is dicitur, qui nec superiorem, nec ejusdem Imperii socium habet. Omnino enim Majestas in complexu non potest parem habere in eadem Republica; possunt tamen ratione subiecti, quod eam tenet, esse plures, qui eadem gaudeant, vel divisim vel indivisim Juribus: ut posteriori modo Status simplex Polyarchicus, priori mixtus inde exsurgat. Illud potius obstat ipsorum doctrinæ, quod Imperator pro simplici forma Monarchiæ, adversus mixturam Status, habeat intentionem fundatam; Nec ullibi ab Eo in partem Majestatis Status assumptos esse legatur, sed solum in A. B. Cæsareæ sublimitati eos adistere, & in partem sollicitudinis constituti esse dicantur. Jun-

ge Stämmler. d. tr. §. 6. n. 1. ibi: *in cura Consiliorum & sollicitudinis tantum partes recipiuntur Status, non in communio- nem Imperii.* Neque uspiam reperitur formula ab Im- peratore pronunciata. Wir und Churfürsten, Fürsten und Stände. Bene tamen, Wir, mit Zuziehung, mit Rath und Willen, mit Vorwissen und Bewilligung. Idem Wir und das Reich. Sed non etiam Wir mit Zuzie- hung, mit Rath und Willen, mit Vorwissen und Be- willigung des Reichs: liquidem voce Reich in ista for- mula recepta & solenni non designantur Status; sed illud ipsum Imperium, quod tenet Cæsar, ejusque Statum & vi- gorem denotat.

§. XX.

Nec apparet, qua ratione Status, etiam universi, se subjectissimos Cæsaris nominare possent, si cum ipso sal- tim universi participarent de Majestate, quippe quod om- nis subjectionis nescia sit suprema potestas. Quomodo insuper possent obligari Imperatori ad reddendam ratio- nem administrationis suæ, v. R. I. de A. 1529. §. 3. ibi: *Wie ein jeder solches gegen Gott und Seiner Majest. hofft und getrauet zu verantworten.* Id quod non minus de universis dicendum est, cum & Cæsar universis probet officium suum ex benigna voluntate; ipsi vero ad ratio- nes teneantur per obsequium. Sic & Status in Cæsarem verum ac proprie sic dictum crimen Majestatis commit- tunt; Ipse vero non committit in Status: quod tamen dicendum foret, supposito, quod Status in Imperio mix- tus esset.

§. XXI.

Sane nec Electoribus præ reliquis Statibus Majestas vel ejusdem pars asserenda est. Nam licet eorum digni-
tas ac

tas ac potentia magna sit, variisque præ cæteris Statibus gaudeant prærogativis, cum sint præcipua Imperii membra: Unde & Haupt-Steulen des Reichs vocantur, ita die innerste Glieder. v. Capit. Leop. art. 46. Eorum tamen non minus ac reliquorum Statuum Dignitas est dependens: quam dependentiam probat Decretum quoddam Cæsaris, quod *seqq. verbis* recitat Henr. Brüningius, *de variis Universit. Speciebus, concl. 10. lit. b.* Daß der Churfürsten Hoheit und autorität mit eines Röm. Kayfers Gewalt und Hoheit, daher Sie auch fleußt, dermassen verbunden, daß eine ohne die andere nicht Verschmählet werde, auch ohne die andere nicht bestehen könne: ja, daß die hohe Würde der Churfürsten, damit Sie vor andern Potentaten gezieret, eben diese sey, daß Sie einen Röm. Kayser, dessen Hoheit, Authorität und Gewalt, alle andere übertrifft, von dem auch alle andere herfleußt, zu erwählen haben. Hinc & illorum jura sunt modificata, & per fidem, qua Imperio addicti sunt, restricta. Et quamvis non negemus, Eos plurimum participare de Imperii viribus ac potentia quapropter etiam subjectum commune Majestatis inter Status alios præcipue constituere dicuntur; proprium tamen penes solum Cæsarem remanet. In cæteris vero, & quidem non Reservatis, Status tanquam causa sine qua non concurrunt.

§. XXII.

Non etiam paritatis quid ex regalibus Statuum argui potest. Vasallos enim facere intendit Imperator, dum ejusmodi regalia concedit: id quod & ipsi Status lubenter agnoscunt; ac Cæsari obedientiam & reverentiam

tiam

tiam pro se suisque Subditis per Vasallagium & Homagium promittunt, quod signum devotionis & supremæ recognitionis sufficientissimum est. v. R. I. de A. 1554. §. Als Wir.

§. XXIII.

Exercitium proinde Imperator illorum Jurium concedit Statibus, non per quandam potestatis suæ abdicationem, sed per benevolam concessionem, reservata sibi de illis omnibus superiori recognitione, ita ut illa concessio intelligenda sit, salva suprema potestate, ohne Schmäherung der Kayserlichen Hoheiten und Reservaten, v. R. I. de A. 1576. §. Dadurch dann. Neque per eam suprema ejus potestas imminuatur, sed magis honorabilis magisque timenda efficiatur. Horum enim præsidio dextra imperialis potentia roboratur, mit welcher Hülffe Kayserliche Macht gestercket wird, ut loquitur Carolus IV. in A. B. tit. 5. Quanto enim quilibet præest majoribus & dignioribus, tanto & ipse major habetur & dignior: ut Imperator Justinianus dicit in Nov. 15. pr.

§. XXIV.

Consequitur autem Imperator hanc Dignitatem Imperialem, summæque potestatis plenitudinem, vi electionis; uti principium Capitulationis testatur, his verbis: Durch vorgenommene ordentliche Wahl ꝛ. ꝛ. zur Ehre und Würde des Röm. Königlichen Namens und Gewalts erhoben. conf. A. B. c. 2. factæ ab Electoribus,

ribus, quibus hoc jus juxta tenorem *A. B.* & quidem singulis, sed tamen in Collegio, competit. Falsum hinc illorum assertum est, qui coronationem electioni necessario accedere debere putant, quippe statim post electionem Imperator jus in re plenum habet, illudque exercere potest: ut ita plus solennitatis, quam juris habere videatur Coronatio. Conf. Schwed. *p. 2. S. 1. c. 2. §. 6.* Est autem electio vel ordinaria vel extraordinaria. Illa in casu vacantia; Hæc vero non nisi ex causis urgentibus, vivente adhuc Imperatore, (vid. Capit. Josephi *in princ. ibi: Durch die aus bewegenden trifftigen Motiven und Ursachen vorgenommene Wahl etc.*) suscipitur: quas causas ad arcana Collegii Electoralis refert Dn. Dietrich. *ad A. B. c. 1. §. XXV.*

Quæstio hic agitur inter Doctores i. Annon huic, Imperatori jam assertæ, plenitudini summæ potestatis, per Capitulationem, vi cujus Status in Juribus Imperii plurimis exercendis in consensum adhibendi, derogatum sit? Nobis negantium opinio videtur verior, quippe consensus eorum non tam potestatem Imperatoris constringit, quam Eundem in officio continet, atque Majestatis exercitium (ut non nisi in salutem Imperii vergat) saltem modificatur, & quidem hoc a parte Cæsaris, aus freyen gnädigen Willen; ut indicat proœmium Capitulationis: unde etiam Imperator per vocem: *Sollen Wir.* sui reminisci solet officii. Neque necessitati justitiæ cum Majestate ulla est pugna, præsertim dum constat, quod plenitudo Cæsaris ac consensus Statuum tanquam compatiblea passim in Recessibus jungantur, vid. *R. I. 1530. §. und meinen. ibi: Aus Unser Kayserl.*

Kaysert. Macht und Vollkommenheit, und mit gemeldeter Unserer gehorsamen Churfürsten, Fürsten und Ständen des Reichs gemeinem zeitigen Rath. Imo consentiunt Imperatori non tanquam Superiores, vel æquales; sed tanquam subjectissima Corporis Imperii membra, v. R. I. 1566. suumque consensum cum contestatione subjectissimæ observantiæ interponunt, v. R. I. 1541. §. 3. *ibi*: unterthäniglich bewilliget, *it*. 1564. §. 37. *ibi*: Haben uns Churfürsten, Fürsten und Stände in unterthänigstem Gehorsam gebethen.

§. XXVI.

Equidem consensus iste quoties adhibendus est, conditionem sine qua non exercendæ Majestatis efficit, vid. DN. Lyncker *in Anal. ad Schwed. p. 1. c. 3. §. 1.* quæ uti in aliis rebus, ita hic quoque effectum propria agendi efficacia producere nequit, uti nec majestatem ipsam, sed solum modum ejus exercendæ respicit; idque tanto magis inde elucet, quod hic Statuum consensus etiam sub nomine consilii eines Raths und Gutachtens sæpe veniat, aliquando ei magis explicite jungatur, *vid. R. I. d. A. 1576. §. 4. 1582. §. 3. conf. art. 2. 3. 7. 12. 13. 20. 21. 38. 39 seqq. Capit. Leop.* Imo in nullo proprie sic dicto regno universi Orbis, ubi nimirum primario consilia ad beatitudinem publicam diriguntur, Regem vel Principem esse constat, cujus authoritatem & majestatem, vel juramentum, vel pactum, aliusque constringendi seu continendi modus non comitetur: juxta Arum. *Vol. 2. disc. 10. 16. 19. lit. E.* Nil officit his quæ tradidimus, *Art. 7. §. 2. Instr. pac. Cas. Suec.* illo enim §. non ipsum Jus Majestaticum, nec ejus plenitudo, nec T^o absolutum secundum quid, sed tantum T^o absolutum simpliciter restringitur, solumque Jus suffragii Statibus tribuitur. Consentire autem non esse de ipsius actus participatione, multo-
que

que minus de Majestate ipsa, facile patet.

Non etiam dici potest, Imperatorem tantum summam habere potestatem, non etiam plenam: siquidem hoc 1.) ad- versatur Legibus Imperii, ubi dicitur ipse ad Dignitatem & Potestatem ejus unice evectus esse. 2.) ei Plenitudo etiam tri- buitur, non tantum summitas. 3.) a nullo jure excluditur, & in omnibus Majestatem exferit, etiam non reservatis. Unde si in his quoq; summus est, etiam plenus est, & quia ubiq; ple- nitudinem exferit, etiam ubique summitatem tenet. Nimi- rum ordinaria Cæsaris Potestas, non extraordinaria, (quippe quæ nullo pacto constringi potest,) per Capitulationem de- scribitur. An autem hujus confectio necessario electionē sus- ceptionemq; Imperii præcedere debeat vel non, satis rem de- cidisse puto exemplum Ferdinandi Primi, qui Majestatem Imperii pluribus annis tenuit, priusquam Capitulatio cum ipso erigeretur.

§. XXVII.

Sed an Imperatori in casu necessitatis a dicta Capitulatio- ne recedere integrum fuerit? Qu. Multi hic negativam de- fendunt, ac Imperatorem vi sacri promissi ad observationem Capitulationis strictissimam teneri putant; Alii Electorum ad minimum consensum ac consilium requiri opinantur, quoties a modo Capitulationis deviandum sit. Attamen cum salus Reip. semper sit lex suprema, si nullam moram ferat ne- gotium, quo non confecto Resp. haud dubie detrimentum caperet: tunc illa vera necessitas, (nec affectata aut ficta, quæ unice in Capital, ad modum redigi videtur,) omnem regu- lam superat. Sed hæc omnino magna cautione indigere, in Discursibus privatis Magnif. Dn. Præses me docuit.

§. XXIX.

Illud etiam quæritur: Ubinam hæc Plenitudo in Statu
D 2 interre-

interregni constituta sit. Vicariis eam afferere non licet: quippe illorum potestas (1.) dependens est, atque munus eorum præsupponit potestatem, cujus vices geruntur, Bodin. *l. 1. c. 9.* Plenitudo autem dependentiam respuit, conf. Strauch. *Inst. Jur. Publ. l. 2. c. 9. fin.* (2.) Functio illorum temporaria est, & finita Imperii vacantia & ipsa finitur. (3.) nec plena est: quia non possunt omnia Vicarii, quæ alias Imperator potest ex plenitudine potestatis. Imo 4.) duæ sunt illorum administrationes & divisæ; hoc vero cum Majestatis essentia in Statu simplici pugnare constat. Verior erga meo judicio videtur sententia, qua plane eam non existere summum Imperium, seu Status Magistraticus, cujus potestatem Vicarii aliquam, cætera ejus Electores & Status diversimode, tenent.

§. XXIX.

Cum itaque ex his hucusque positis luculenter satis appareat, plenitudinem summæ potestatis in nostra Rep. esse solius Cæsaris: Primum consequens est, Ipsum solum LL. esse solutum; posita namque causa & effectum poni necesse est, & obligatio Legum in iis tantum sibi vindicat locum, qui Majestati Reipublicæ subsunt *l. 12. C. de LL.* Jam vero Imperator sibi ipsi legem dare non potest, quamvis semet obstringere Legum sensui materiali possit, conventionem; quod in Recensibus ubique obvium est.

Cæterum illud facile intelligitur, Cæsarem LL. non tantum divinis teneri, quæ immotam divinæ justitiæ & voluntatis regulam continent, & ad omnes homines respiciunt, sed & naturalibus: quæ divina quadam providentiâ constitutæ hominumque cordibus inscriptæ, ad *Rom. 2. vers. 15.* adeoque immutabiles permanent, *per §. 11. J. de I. N. G. & C.*

Quod vero Leges fundamentales attinet, illæ nomen Legum non nisi effective sustinent, neque Leges sunt, maxime

me

xime quoad Cæsarem, formaliter: quin potius illius intuitu Conventionis vicem gerunt, & ad illas Imperator obligatur vi voluntariæ conventionis & pormissi: adeoque propter datam fidem ex superiori naturali jure, & sacramento: cum nihil tam congruum sit fidei humanæ, quam pacta servare, & fidem datam, cumprimis religiosam, non fallere. Quæ fiducia Statuum & Populi merito Cæsari amorem ac venerationem tanto majorem conciliat, quod illum non tantum Regimine ad salutem publicam certis pactis directo uti norunt, verum etiam in Capitibus, quæ ipsius personam contingere possunt, in recentibus Imperii Constitutionibus, iisdem legibus secum vivere vident, suoque etiam exemplo ipsis præesse, uti eleganter Dn. Ziegl. *d. tr. l. 1. c. 1. §. 19.* declarat. Legibus autem vivere, suoque exemplo præire subditis, non pugnare cum majestatis natura, tradit Idem *d. l. §. 27.* Inno ipse Theodosius Imperator, dicens: Digna vox est Majestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri, hoc fateri videtur. *per l. 4. C. de LL.* Interim LL. mere civiles ac positivæ, quæ ab omni necessitate juris divini & naturalis sejunctæ sunt, quarum exemplum occurrit in *R. I. 1524. §. 14. ibi: auch dreyzehen Wochen vor ein Viertel Jahr gerechnet werden.* item in *l. 34. C. de donat. Nov. 25. c. 2. tit. de testam.* pro lubitu Imperator non observare potest. *conf. Struv. Ex. 2. §. 10. Synt. jur. civ. Ziegl. d. tr. l. 1. n. 28.*

§. XXX.

Secundum consequens est, Statum nostri Imperii esse Monarchicum. Si enim Imperator solus potestate pro plenitudine summa utitur, illum Monarcham, & consequenter Remp. cui præest Monarchiam esse indubie sequitur; Id quod Reinkingius quidem, Witzendorffius, Stamlerus, Arumæus, Schützius & alii juris publici Jcti plures, asseru-

ere. Interim quia non simpliciter illis in modo quo sententiam suam concipiunt, accedi potest, neque etiam omnia ipsorum argumenta nostra facimus. Hinc assertum illud Monarchici Regiminis, quod in se verum est, explico & defendo ad rationem illam, quam distincte exposuit Illustr. DN. Lyncker, in *Diss. peculiari, de Forma Imperii Germanici*. Quemadmodum enim ejus expositio plane diversa est a dictis Monarchiæ Assertoribus, & nova penitus: ita cum Libertate, Potentatu, Superioritate, Status conditione, aliisque Juribus Imperii Statuum, optime convenit, ut nec Cæsari nimium tribuat, nec Statibus quid detrahat: atque Legibus Imperii, actuique rerum, apprime congruat: Cum quidem antea dictis Assertoribus obstiterint & Leges, (eo sensu, quo illi intellectas volebant,) & ipsa Praxis Imperii; Mixturam vero Assertoribus Praxis Imperii adsistere videbatur, ipsique vanissimo refugio in Legibus omnia simulata, ficta, & ceremoniis infecta, crepabant: Et tamen Legibus nec quicquam resistit Praxis, eisdem per omnia similis; Leges vero aperte & graviter rem exprimunt.

Atque hæc tandem sunt, quæ pro ratione temporis & instituti adducere volumus, benevolum Lectorem enixe rogantes, ut in difficili & tot dissidentium studiis agitato articulo boni consulere hunc conatum nostrum haud gravetur.

DEO ter Opt. Max. sit L. H. & G.



VONA

cui nih
 grum ef
 se dicit
 ac integ
 ff. ad L.
 promiss
 ta est, &
 per l. 11.
 quando
 46. d. V
 & Vfus
 Syntagm
 11. C. d.
 illa voc
 quæque
 ti subfu
 sunt exe
 te pleni
 poni nih
 quod sup
 physicis,
 jure nos
 §. 36. n. 12.
 potestas

Ho
 tandum,
 ficatione
 accipiati
 state pub

ne debitis inte
 eo plenum id es
 quod solidum est
 nominatur in l. 16.
 in quoque Com
 vice pœnæ addi
 est & absolutum,
 minium dicitur,
 alim. & cib. leg. l.
 accipimus, cujus
 inet. vid. Struvii
 1. ff. de V. O. l.
 & plena potestas
 ac completa est,
 quæ ejus potesta
 er per pacta ab Ea
 lominus manen
 atur, supra quod
 logicis vocatur,
 um Ens in meta
 num judicium in
 v. Stamler. de R.
 nce etiam summa
 ergreditur.

d concernit, no
 s admittit signi
 modo sed varie
 quam pro pote.
 ff. de jurisdic
 ne, ibi

